Quelle: http://manuscripta.at/?ID=39944
Copyright: Melk, Benediktinerstift



castra eorum et subuertebat rotas curruum
eorum timebant deum dicentes fugiamus a facie
israhel dominus enim pugnat pro eis. fuga namque
peruenit ex timore. Et philistei quando remiserunt
archam timuerunt deum et tamen tam de egip-
tiis quam de philisteis verum fuit dicere non
est timor dei salubris scilicet initialis aut fi-
lialis ante oculos eorum. Neque includebantur in
hiis auctoribus aut similibus. beati omnes qui timent
dominum. atque timentes aut dominum non minuentur
omni bono, licet enim ipsi timerent dominum.
tamen quia timor ille non erat filialis neque initialis
non ideo fuerunt beati, ac etiam minuti sunt bonis
Idem posse dicere de hiis de quibus scriptum est Tunc
conturbati sunt principes edom robustos moab
obtinuit tremor obriguerunt omnes habita-
tores chanaan. Irruat super eos formido et
pauor in magnitudine brachii tui. Idem pos-
sem dicere de hiis de quibus raab mulier
loquebatur ad exploratores filiorum israel. In-
super prouerbiorum 14 dicitur per timorem domini declinat
omnis a malo. Et Iob primo deus ad sathan
gloriatur de Iob dicens. Homo simplex ac rectus
et timens deum et recedens a malo. Super
quibus et similibus auctoribus videntur fundari verba
Richardi per me in appologia mea allegata
ex libro de xii patriarchis. de primogenito
scilicet rubem. i. timore ubi dicitur quod sine timore non